*maxima* Maxima autem anno MDCXLI. fusa cum his versibus:


*Sum tuba clara Dei Marsbergensisque ministra,*
*& tàm defunctis quam vivis servio semper.*

Josephus Michelien me fecit anno 1641.

Anno M DC LXIX. *Ferdinandus à Metternicht*, Præpositus ibidem, sumtibus Corbeiensium, turrim, Ecclesiam & Præposituram in ruderibus suis jacentem instaurare cœpit. Monstrat hæc basilica & Præpositura, in signum primogenituræ suæ, literam

*Præpositura instaurata*

*primogenitura ejus signum*



quam in posteriori Ecclesiæ ostio & ipsa Præpositura vidimus, hîc quidem cum disticho:

*Quas ædes Bellona ferox extinxerat, istas*
*aurea pax renovat Magnipotentis ope.*

*monasteria secundùm alphabetum condita.*

Vetus, nec temnenda traditio est, *Karolum* M. ad numerum alphabeti cœnobia fundâsse, & in unoquoque per ordinem literam ex auro fabricatam, (nostra verò nunc ferrea est,) plusquàm *ducentas* libras Turonenses (Glossator Speculi Saxonici (k) habet tantùm *centum*) valentem, reliquisse, ut ex ordine literarum tempus fundationis cujuslibet monasterii recognoscatur. (l)

*capella Esresburg. donatur Corbeiæ.*

§. V. Postea *Ludovicus* & *Lotharius*, *divinâ inspiratione compuncti, & cœlestis patriæ amore succensi*, ob animæ salutem, hanc *capellam* cum omni integritate Corbeiæ jure perpetuo donârunt.

In

[k] *ad L. III. artic. 82.* [l] *Chron. magn. Belgic. pag. 44.*